

ret) propter tantam profunditatem, retentionem luminis à Sole procedentis, seu refractionem, haberet.

Quæ; si esset, noctes perpetuo ut crepuscula lucerent à superiore circumfusi aëris illuminatione, ad quem Sol perveniret undique. Sed non lucet, ergò nullus est aër, à nobis sensibilis ultra dicta illa 24. milliaria germanica. Multò minus est supra omnem aërem, aliud corporeum quid; quia illud, lumen quoddam à Sole acciperet, quod tamen non fit; Ergo spatium ibi est purum seu vacuum ab omni corporeo.

Aër sensibilis non est semper ejusdem Altitudinis, tum propter majorem assum-

Aërem autem, & quidem sensibilem, non semper ejusdem esse altitudinis, tum propter majorem gravitatem (quando scil. majorem habet aquæ copiam) tum propter diversam ejus temperiem (nam tempore calido

aër magis dilatatus, consequenter altior est quam frigido, uti videmus in Thermoscopiis, aërem ob quemcunque accedentem calorem sese dilatare, constringere autem per frigiditatem) ex nostris Experimentis lib. 3. cap. 33. ut & passim constat.

tam aqua copiam, tum propter majorem calorem & frigiditatem.

Cæterum, sicut deprehendimus in corporibus magis odoriferis è longinquo odorem eorum; imò maximarum Urbium à 4 milliariibus germanicis, & in navigationibus sentimus terras pet 6 milliaria; sic quoque nullum dubium, si quis à Luna vel alio Planeta per æthera proficisci posset & ad Tellurem hanc nostram appropinquaret, quin odorem ejus, id est Aërem, per 5. vel 600 milliaria, canis verò vel aquila adhuc longius, perciperet.

Telluris odor procul dubio longè abhinc percipi posset.

CAPUT VIII.

Observatio quædam, à Davide Frölichio in Monte Carpatho Hungariae instituta, quæ non parum facere videtur, ad judicium de Aëris sensibili altitudine & Regionum ejus constitutione, ferendum.

E Montibus, inquit (Hungariæ) primas tenet Carpathus; quæ vulgata appellatione nominatur omnis tractus Sarmaticorum Montium, qui Hungaros à Ruthenis, Polonis, Moravis, Silesiis, & eà Austriæ parte, quæ citra Danubium est, dirimunt. Horridiora & sublimiora illorum juga, nubes transcendentiæ, existunt in Comitatu Sepusienfi, ad patriam meam dulcissimam Cæsareopolim, vulgò, Resmarck / dictam, à qua Civitate etiam Resmarcker Gebürge / item das Schnee-Gebürge / quod perpetuis fere nivibus tegantur, à Slavis, Tatrii, vel Tarezal, quasi calvi & abradi Montes, nuncupantur.

Carpathus Mons superat Alpes.

Et hæc rapes asperitate & præcipitiis suis, Alpes Italicas, Helveticas ac Tyrolenses longè superantes, ferè imperviæ sunt, & non nisi à naturæ admiratoribus rarissimè petuntur.

Ego mense Junio Anni Christi 1615. tum adolescens, sublimitatem horum Montium, cum duobus comitibus scho-

laribus, experiri volens, ubi, cum in primæ rupis vertice, magno labore, me summum terminum assecutum esse putarem, demum sese obtulit alia multò altior cautes, ubi per vasta, eaque vacillantia saxa (quorum unum, si loco à viatore dimovetur, & versus convallem dejicitur, aut volvitur, aliquot centena declupo majora secum rapit, & quidem tanto cum fragore, ut illi metuendum sit, ne totus Mons corruat eumque obruat) enixus essem, iterum alia sublimior prodiit atque ita aliquot minores vertices, quorum posteriores semper anteriores altitudine superarunt, per totidem convalles, summo vitæ periculo emetiri coactus sum, donec ad supremum cacumen penetraverim. Ex declivioribus montibus cum in subjectas valles, vastis arboribus constitas prospexissem, nil nisi obscuram noctem, aut cæruleum quid, instar profundæ aëris, quod vulgò Cælum sudum appellatur, observare potui, mihi-que videbar, si de monte caderem, non

Quando Saxa dimovetur & versus convallem dejiciuntur, accidit ingens fragor.

Silva arboresque videntur cærulea.